

Quæ sex continuos brumali frigore menses
 Dignata es gremio me retinere tuo.
 Jamque vale, tibi nam mox sum moriturus & orbi,
 Quem tangit nostri portio nulla soli.
 Vos quoque vos uno qui multa in corpore membra
 Degitis, inque uno corpora multa loco.
 Felices animi (quorum nunc mænia surgunt
 Latius ob populos, altius adque Deos)
 Vivite concordēs semper, semperque valete,
 Ut sene cordati sitis in urbe Viri.
Houkeni imprimis reliquorum maxime custos,
 Quo levat aëreum Consule *Brema* caput.
 Vosque Senatores, populis facer ordo regundis
 Qui malè judiciis corrigat acta bonis.
 Et valeat charus multo mihi nomine *Cockus*
 Qui sibi cognomen maluit esse meum.
 Illius ergo semel neque me meminisse pigebit,
 Sed semel hoc alio nomine semper erit.
 Et mihi *Cressingus*, nec non mihi salveat *Hannus*
 Florida *Bremani* palma decusque fori.
*Bornhorstus*que manusque sacræ *Glandorpius* Urbis,
 Quicquid & ingenui spirat in urbe viri.
 Tuque ubi post lentæ torpentia frigora brumæ,
 Aurea vernantes Flora repandit opes,
 Vallis amœna vale, nam tu mihi vina solebas
 Fundere perspicuis lucidiora vitris.
 Et vos (nam vestram non sponte relinquo coronam)
 Candida virginei turba valete chori.
 A quibus externam didici pro tempore linguam,
 Nec malè, fœminei captus amore soni.
 Certè ego si nostras unquam revidebo puellas,
 Ac repetam veteres & sine dente sales :
 Iste quis est (dicent) nostris novus advena terris,
 Inficit obscuras cui nigra barba genas ?
 I pete Germanas (dicent quoque) rursus amicas,
 Cœlibe sit nobis cum seniore nihil.
 Sed mihi virginibus mos est servire modestis,
 Virginitas nostris sic dominatur agris.

Vos